



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 63. Ubinam seu quo loco vacare dicatur beneficium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

ficiam ex eadem vacatione dici possit vacare diversis mensibus, Apostolico nimirum & ordinario Gonz. Gl. 11. n. 66. & Gloss. 15. n. 141. Chok. ad regul. 8. Gl. 7. n. 23. quem citat & sequitur Barbof. jur. eccl. l. 3. c. 14. num. 66. vide me l. c. g. 24.

Quæst. 63. Ubinam seu in quo loco vacare dicatur beneficium?

1. Resp. diversimodè pro variis nimirum contingentis aut etiam modis vacationis ad hoc respondendum; nam primò vacatio contingit in loco, ubi beneficiatus moritur. Gonz. Gl. 15. §. 1. num. 42. Lotter. l. 3. q. 15. num. 59.

2. Secundò, in loco, in quo capitur possessio (nimirum ob quam captam vacat beneficium præhabitum incompatible) etiam per procuratorem. Secus, dum ea capitur per amicum vel negotiorum gestorem sine commissione principalis; dum nimirum opus est ratificatione principalis; tunc enim vacat eo momento & loco, quo ea præstatur. Gonz. Gloss. 15. §. 2. num. 10. citans alios. Sic, dum habens beneficium requirens Residentiam; existens in Curia, providetur de alio simili beneficio in partibus, illiusque collationem acceptavit & possessionem accepit per procuratorem, adeoque jam vacat præhabitum, vacatio hæc contingere dicitur, non in Curia, ubi provifus existit, sed in partibus, ubi accepta possessio. Gloss. in Clem. 1. ut lite pend. v. collatio.

3. Tertio: vacatio ducens originem à facto negativo seu omissione; v. g. quòd quis intra annum non fuerit promotus, dicitur contingere in loco, in quo est provifus; v. g. in Curia, si ibi existit, aliàs in partibus seu extra Curiam, si ibi fuerit tempore inductæ vacationis. Tondut. 99. benef. p. 2. c. 3. §. 2. num. 33. citans Rebuff. p. 2. tit. de non promot. intra ann. Garc. p. 5. c. 1. num. 78.

4. Quarto: vacatio ducens originem ex facto positivo, vi cuius inducitur vacatio ipso jure aut ex speciali decreto citra aliam sententiam hominis, eo loco vacare dicitur, in quo actus iste gestus est. Tond. loc. cit. num. 34. Garc. loc. cit. num. 49. E contra, si inducatur per sententiam privationis, vacare dicitur in eo loco, ubi passus sententiam. Sic; v. g. si in Curia præsens privetur beneficio in partibus, non in Curia, sed in partibus contingit vacatio. Gonz. Gloss. 15. §. 2. num. 16. & 18. citans Simonet. de reserv. quæst. 26. n. 1. Pavin. de off. & potest. Capis. sed. vac. prælud. 7. n. 8. Mandos. ad reg. 32. q. 8. num. 13. Gamb. de potest. Legat. l. 3. num. 124. contra Gomes.

5. Quintò: vacatio contingit in loco, ubi contrahitur matrimonium (idem videtur de emissionem professionis) sic si per procuratorem existentis in Curia contrahitur in partibus, vacat in partibus. Gonz. loc. cit. num. 15.

6. Sextò: vacatio contingit in loco, ubi resignatur beneficium, non attentio loco, ubi resignans moritur physicè. Paris. l. 1. quæst. 4. num. 50. & 57. Gl. in Clem. 1. ut lite pend. v. collatio. Vitalin. in Clem. unic. de renunc. num. 40. Simonet. de reserv. c. 1. Rebuff. &c. Sic resignatio facta coram ordinario, dicitur vacatio contingere in partibus, nisi is ipse existat in Curia. Sic facta ab existente in partibus per procuratorem existentem in Curia, contingit in Curia, & non in partibus, ubi constitutus procurator seu confectum mandatum ad resignandum. Gonz. loc. cit. num. 11. Paris. cit.

quæst. 4. num. 1. citans Fusc. de visit. l. 2. c. 21. Paris. conf. 10. n. 1. vol. 4. & alios. Idem dicendum de permutatione facta per procuratorem. Azor. p. 2. l. 7. c. 22. quæst. 15. ubi tamen resignatio vel permutatio facta per amicum, & dein ratihabita per principalem, vacatio contingit ibi, ubi facta ratihabito. De cætero, quia dum resignans infirmus moritur ante 20. diem post factam resignationem, non datur duplex vacatio, una per resignationem, altera per obitum, sed una tantum per obitum, ut Lotter. l. 3. quæst. 15. num. 20. citans Sarnenf. in reg. 18. Cancell. seu de 20. quæst. 35. cum impossibile sit dari duplicem vacationem ejusdem generis; V. g. de jure; cum per primam absumptum sit omne jus beneficiati (de quo vide me in for. benef. p. 3. quæst. 18.) hinc, inquam, in hoc casu dici non potest vacare beneficium in loco, ubi fit resignatio, sed in loco, in quo contingit obitus.

7. Septimò: beneficia reservata per extrav. ad regimen. de præb. inter comm. & per Extrav. execrabilis. eod. tit. dicuntur vacare in Curia. Gonz. Gloss. 13. num. 46. & latius. Gloss. 52. Quin & omnia beneficia reservata vel effecta vacare dicuntur in Curia. Gonz. §. 5. proem. num. 141. & cit. Gloss. 13. num. 46. citans Calderin. conf. 9. in fine. de probat. Simonet. de reservat. quæst. 30. num. 4. Aneam de Falconib. de reserv. quæst. 4. in princ. effect. 1. n. 1. &c.

8. Octavò: in dubio beneficium præsumitur vacare in loco, in quo beneficiatus habet domicilium. Hinc, si beneficium requirebat residentiam personalem præsumitur vacare in loco, ubi beneficium consistebat; quia ibi residentiam facere præsumitur beneficiatus, non secus ac maritus habitare cum uxore. c. ex tua de cler. non resid. Alciac. de præsumpt. reg. 1. præsumpt. 35. num. 1. Mascard. concl. 1277. num. 3. quos citat & sequitur. Gonz. Gloss. 15. §. 2. num. 29. & 30. si verò beneficium non requirit residentiam, ibi vacatio contingit præsumitur, ubi beneficiatus ordinariam habitationem habebat; quia ibi præsumitur quis mori. Gonz. loc. cit. a num. 25. de cætero præsumitur vacare in diœcesi, ubi beneficium consistit, Gonz. Gl. 32. num. 47.

Quæst. 64. Qualiter consumatur vel non consumatur vacatio?

1. Resp. primò: non consumitur illa primò per provisionem in forma dignum ante examen & approbationem seu executionem. Lotter. l. 3. q. 8. num. 134. Tondut. 99. benef. p. 1. c. 87. num. 21. ego l. c. q. 19. num. 2. Sed neque secundò per provisionem de facto, hoc est, illegitimam; V. g. per collationem factam contra mentem fundatoris. Lotter. loc. cit. quæst. 20. num. 119. Tondut. loc. cit. num. 20. addens num. 23. non consumitur etiam per provisionem Apostolicam & factam per legatum ipso jure nullam. Neque tertio per Legitimam collationem necdum acceptatam. Idem est de electione ante confirmationem de præsentatione ante institutionem Lotter. l. c. quæst. num. 19. Gonz. Gl. 15. §. 2. num. 21. Neque quarto consumitur vacatio per commendationem beneficii. Gonz. l. c. num. 20. de quo vide me p. 3. quæst. 18. num. 3.

2. Resp. secundò: consumitur vacatio per collationem acceptatam, etiam ante captam possessionem. Gonz. loc. cit. citans Simonet. de reserv.